

*Libr. I. §. 10. p. m. 30. & 31.* in verbis: didicit Adalbertus, quam modicum fiducia in plebe ad cuiusvis causæ favorem mutabili sperandum sit. Igitur vi continendos esse ratus, qui imperio non possent, montem S. Severi in castellum munit, atque cum eo Moniales S. Benedicti habitarent, inutilis autem esset iste Sexus in arce, Monasterium in monte extra urbem extraxit, inque illud, quod à Patrono S. Cyriaci postea nomen accepit, Moniales transtulit, ac Clericos reposuit, quibus leges ac disciplinam præscripsit, dotavit etiam ampliore censu; ac de prædiis iis, quæ his annis libertate donaverat, canonum partem cessit. Quippe (origo der Frey-Zinssen) fuerunt Urbis fundi Archi-Episcopo ministeriales, ipsi cultores glebæ adscripti. Adalbertus illis & his libertatem concessit, animo tantum censu reservato. Hic magnam partem Electorum liberalitate in Ecclesias, milites, horumque partis in plebem etiam pervenit: Illustrior gestæ rei memoria ab iis prædiis exhibetur, quæ nummis argenteis datam libertatem annuè redimunt. Dn. D: & Prof. Boehmerus in *Diss. de vario censuum significatu & jure quoque aliam originem adducit, quod census solvatur* 1) in signum Protectionis th. 9. seqq. 2) in signum exemptionis plenariæ à potestate & jurisdictione Episcopi th. 12. 3) in signum subjectionis, th. 13.